



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Christ. Francisci Paullini, Ferrariâ-Thuringi, Rerum Et
Antiquitatum Germanicarum Syntagma**

Paullini, Christian Franz

Francofvrti ad Moenvm, 1698

Sincere Lector.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44860

SINCERE LECTOR.

Duo equidem chronica *Mindensia* veneunt, alterum incep-
ti Autoris, complectens res istius Ecclesiæ gestas ab anno
Salutis DCCLXXX. usque ad DCCCCCLXXIV. editum ab *Henrico Meibomio Seniore*, Academiæ Juliæ Hi-
storico diligentissimo; (a) alterum, idque brevius, etiam
Anonymi à Joanne Pistorio, Niddano, D. Ecclesiæ Ura-
tislaviensis Præposito, & S. Cæs. Maj. Consiliario editum, annexis in fine
triginta Privilegiis Imperialibus. Non ibimus inficias, hoc vel istud,
imò utrumque, in membranis suis excusisse *Bussonem*. Certè diplomata
à *Pistorio* divulgata, ut ipse fatetur, (b) eum inspexisse, varia indicant
loca. Si tamen *Watenstedianum* hoc opusculum cum reliquis contuleris,
fatearis oportet, clariùs, distinctius, copiosius & accuratiùs scripsisse eum.
Mindensis fuit, *Pistoris filius*, quam conjecturam mihi facit *Henricus Suvarius*, (c) *Canonicus postea Hamelensis ad Visurgim*. Scripsit sub
VVillebrando Hallermundano, Præsule XLIX. summo benefactore suo,
excessit autem sub *Alberto Hojano*, cuius postremus vitæ annus, se-
cundùm *Chron. Mindens. Meibomian.*, erat MCCCCLXXIV. Quas
schemas cùm luce dignas judicârint eruditii Antiquitatum Studiosi, ne-
fas duxi obluctari. *Ardua res est*, infit *Reinerus Reineccius*, (d) sum-
miq; ingenii, historiam scribere, & qui eam præstant operam, præclarè
de omnibus merentur publicè. *Est* & hoc cum utilitatis fructu conjun-
ctum haud pœnitendo, profecta ab aliorum industria id genus monumenia,
si forte lateant, proferre in lucem, quemq; inde contraxere situm, conveni-
ente limâ detergere atque expolire. Ceterū facile videbis, *VVatenste-*
dium, *Duldorpium*, (qui an *Hamelæ seu Mindæ Vicarius fuerit, nescio*),
& *Fryschmedium Pollensem* (quod oppidum cum Præfectura ad Visur-

(A) 2

gim

(a) vid. T. I. ter. Germ. à Nepote ejus edit. anno 1688. in fol. (b) in carmine suo ad Mindam , (c) in
char. Vallis Dij ad ann. 1408. (d) in process. chron. Ditmar. Metziburg. c.p.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

gim est, Electori Brunsvicensi subjectum,) coætaneos & familiares
fuisse, qui uno eodemque tempore res Mindenses descripserunt & illu-
strarunt. Ausus cujuslibet laudandi. Singuli enim suæ servire vo-
luerunt patriæ. Næ,

- - pius est patriæ facta referre labor. (e)

Hec nos delectat, ejusq; rei tanta vis est ac tanta natura, ut Ithacam
illam, in asperrimis saxulis, tanquam nidulum, affixam, Sapientissimus
Vir (Ulysses) immortalitati anteposuerit. (f) Disticha verò in effigies
Præfulum scripsit Jodocus Viitflor, quem vetus scheda ceu Poëtam,
Musicum & Presbyterum mihi commendavit. Nec Marpachius tibi ingra-
tus fuerit, licet fragmenta saltem catalogi dederit. Omnis antiquitas
(judicio Fryschmediano) honoranda, ut ut parva, sordida & abjecta videa-
tur aliis. Nec notulas asperhabere nostras, quas chartis hujusmodi in-
ter legendum illino, sed patriæ forsitan captus amore leges. Deus Te
seruet! Scribebam Ferrarie Thuringorum antiq; fundatæ Salutis
MDCXCVII.

(e) Ovid. L. II. Trist. eleg. 1. vers. 322. (f) Cie. L. I. de orat. p. 313. edit. Sturm.

CHRO-